

in lucem proditurus ad baptismum recipiendum; quia tunc vita corporalis videtur postponenda salutis spirituali prolis. Sed quia casus iste valde incertus et quasi miraculosus est, vix unquam obligabitur mater à medicamentis sanitati suæ necessariis abstinere, ea de causa, ut fœtus animatus, matre mortua, ad baptismum perveniat.

§. II.

De homicidio casuali, et mutilatione.

85. Q. I. *An homicidium casuale sit peccatum et pœnis dignum?*

R. 1.º Homicidium merè casuale seu fortuitum, non est peccatum, nec ulli substat pœnæ; nam nullo modo est volitum, nec in se, nec in sua causa. Econtrà, homicidium casuale culposum, quod quidem fit præter intentionem occidendi, non verò sine culpa occidentis, reputatur peccaminosum, vel theologicè, si culpa fuit theologica, vel iuridicè, si culpa fuit merè iuridica. Nam tale homicidium, licet directè non sit volitum, est tamen volitum indirectè seu in causa, in qua diligentia non fuit adhibita, ne homicidium sequeretur; ergò. Hæc doctrina generalis particulariter explananda est.

2.º Qui dat operam rei licitæ, ex qua non prævidetur homicidium, vel si prævidetur, omnis diligentia necessaria adhibetur ad illud præcavendum, nullo modo est reus homicidii et pœnarum, si per accidens homicidium sequatur: ità com. ex c. 9. et 13. *h. t.* et l. 31. *ff. ad L. Aquil.* Nam tali casu abest omnis dolus et culpa; ergò neque committitur homicidium formale pœnis dignum. Unde reatu homicidii, et irregularitatis pœna non tenetur:—I. Medicus peritus, qui cum diligentia medicinam præscribit, et minister, qui eam præbet ægroto.—II. Pater vel magister moderatè verberans filium aut discipulum.—III. Qui circumspectè levat vel invertit infirmum.—IV. Qui in loco privato alit canem ferocem benè alligatum, et is vincula dirumpit.—V. Qui ex arbore ramos, vel ex tecto tegulas, facta proclamatione, dejicit etc., etsi per accidens ex actionibus istis mors consequatur: sic explicatur *cap. 9. 13. 14. 15. 16. 21. 22. 23. et fn. hoc tit.*

3.º Qui dat operam rei licitæ, et sufficientem diligentiam non adhibet ad præcavendum homicidium, hoc ei imputatur: et quidem in foro interno ob culpam theologicam: in foro autem externo ob culpam iuridicam: hoc sensu explicatur c. 7. 8. 10. 11. 12. *h. t.* Ratio est, quia omittens diligentiam debitam, indirectè et in causa concurrat ad consecutum homicidium; ergò. Huc adduci possunt exempla priora et his similia, si in eis debita diligentia et cautela sit omissa. De jure civili; homicidium culposum non punitur pœna ordinaria legis Corneliæ de Sicariis, quia in delictis culpa etiam lata non æquiparatur dolo (*l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar.*) De jure Can. ex homicidio culposo oritur ir-

regularitas, saltèm si fuit culpa mortalis theologica (c. 78. *h. t.* et c. *fn. eod. in 6.*)

4.º Dans operam rei illicitæ, si ista est per se periculosa et inductiva homicidii aut mutilationis, secuto effectu mortis aut mutilationis, fit reus homicidii et pœnarum ei annexarum (c. 10. 19. 20. 24. *h. t.* et c. *fn. eod. in 6.*) Nam tale homicidium est operans voluntarium, saltèm in causa, cum causa ista sit per se inductiva mortis. Unde irregulares fiunt:—I. Clericus in bello dimicans, si quem occidat, vel si exerceat artem chirurgiæ aut medicinæ cum incisione vel adustione, quia actiones istæ sunt clericis prohibitæ. Excipe, nisi mors aliunde sequeretur ex vi morbi, non verò ex tali incisione vel adustione; vel si clericus peritus in casu necessitatis, quo laicus peritus haberi nequit, omni diligentia adhibita, talem incisionem vel adustionem exerceret. Nam Ecclesia non censetur prohibere hoc opus charitatis, et infirmum privare tali auxilio: et aliunde necessitas facit licitum, quod in lege est illicitum, per *reg. 4. in antiq.*—II. Qui infirmo contra præscriptum medici dat medicinam, potionem aut quid simile, ex quo mors acceleratur, vel si imperitus exerceat chirurgicam, medicam, balistarum, digladiatoriam aut aliam artem periculosam, secuta morte, fit irregularis; quia dedit operam rei illicitæ per se inductivæ mortis.

5.º Dans operam rei illicitæ, quæ per se non est periculosa nec mortis inductiva, non fit reus homicidii, si hoc per accidens sequatur: ità com. in re. Nam sic operando, nec directè seu in se, nec indirectè seu in causa, influit in homicidium, dummodò ex defectu diligentie nulla subsit culpa. Unde non fit irregularis adulter, si ratione illius occidatur adultera.

Ità etiam ex Decreto Congr. Concil. 22. April 1679. relatum in Thesaur. Resol. ejusd. Cong. in fol. 2. Octobr. 1723. *In nullius provincie Compostellane* in causa Clerici Palentini; ob cujus adulterum commercium, uxor occisa fuit à marito.

Quod hic dictum est de actione, id proportionaliter sentiendum de omissione culpabili ad homicidium concurrente.

86. Q. II. *An, et quando mutilatio membrorum sit licita vel illicita?*

R. 1.º Homo membrum sanum non potest sibi licitè amputare, vel curare per alium amputari; nam non est dominus, sed custos membrorum suorum. Facta quorundam Sanctorum reducenda sunt ad instinctum Spiritus Sancti. At contrà, membrum putridum et totius corruptivum, licitè absecatur propter conservationem totius, cui deservit. Si autem scissio membri fieri deberet cum magnis doloribus, regulariter nemo obligatur, neque ad eam cogi potest à republica vel prælato; quia ad extraordinaria et horrenda vitæ remedia nemo tenetur, nisi forsàn personæ vita valde esset necessaria bono communi: quo casu infirmus saltèm ex charitate teneretur pati talem scissionem.

2.º Ex causa vitandi peccati, v. g. incontinentiæ, non licet se castrare; nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Neque hoc remedium necessarium est ad castitatem, cum dentur alia plurima:

imò nec est utile; quia ut testantur Patres, castrati ingentibus concupiscentiæ stimulis agitantur. Multò minùs castratio est licita ad conservandam suavitatem vocis; quia hæc nec est tanta, ut ob illam injuria Creatori inferatur; nec per se necessaria ad conservationem totius, ob quam solam causam licere amputari membrum, docet S. D. 2. 2. q. 65. ar. 5.

3.º In casu, quo aliter vitæ totius succurri nequit, probabiliùs licet amputare membrum sanum; Salm. cum citt. contra Sot., Bannez, Arragon. etc. Nam tali casu eligitur minus malum ad vitandum majus, seu interitum totius; et recta ratio dicat, quòd pars deserviens toti absecari possit, ne totum pereat. Unde alligatus palo, si certò consumendus sit à fera vel incendio, abscindere potest manum alligatam, ut fugere valeat: et si certa mors intentetur à tyranno, nisi quis sibi manum abscindat, vel linguam amordeat, vel oculus eruat, potest simile membrum truncare, ut totum reliquum corpus conservet.—Nec obstat, quòd civis innocens occidi nequeat ad petitionem tyranni excidium patriæ minanti; nam respublica non habet dominium, nisi politicum in civem; et cum innocens ei non noceat, non habet potestatem eum occidendi: econtrà, homo habet jus naturale circa membra sua, ut de illis disponere possit, prout melius est naturæ totius; ergò si necesse sit abscindi membrum sanum, ut servetur totum, abscindi poterit; cum abscissio ista unicè ordinetur ad conservationem totius.

§. III.

De pœnis homicidii et mutilationis.

87. Q. I. Quæ sit pœna homicidii?

R. 1.º De Jure civili pœna homicidii dolosi seu scienter facti, est ultimum supplicium, quo tenentur non tantum physicè, sed et moraliter occidentes, ut mandando, consulendo, falsum testimonium deponendo etc.; §. 5. *Inst. de publ. jud. l. 3. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. Const. crim. Car. V. art. 127.* conformiter c. 9. Gen. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Et quidem:—I. Si homicidium sit simplex factum in rixa vel semiebrietate, pœna illius est gladius. Clar.—II. Si verò homicidium sit qualificatum, pœna illius exasperatur secundum locorum consuetudinem. Sic enim homicidio *præmeditato*, maximè si factum sit *proditoriè* sub specie amicitiae, saltèm communis, vel ex *insidiis*, decerni solet rota, forcipes candentes, sassinii prævia ustulatio, raptatio ad caudam equi, dissectio corporis exanimi in frusta. De pœna parricidii dixi suprà tit. 10.—III. Homicidium *culposum* punitur, non pœna ordinaria, sed extraordinaria mitiori juxta facti et personarum qualitatem, cum ad pœnam ordina-

riam prærequiritur in delinquente dolus, cui non æquivalet culpa lata (*l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar.*)—IV. Pœna matris procurantis abortum fœtus animati est ordinaria parricidii aut homicidii respectu alterius abortum causantis (*l. 39. ff. de pœnis*), quamvis plerùmque mitiùs puniri soleat mater, quæ culpabiliter infantem in utero peremerit; Decianus. Si verò fœtus non fuit animatus, de quo certò constet, tunc infligi potest pœna arbitraria, ut fustigationis, exilii etc.

Ex Constitut. Sixti V. *Effrenatam* à procurante abortum fœtus tam animati, quàm inanimati, effectu sequuto, incurrebatur ipso facto excommunicatio Papæ reservata: sed d. Constit. moderata est, ut infra.

2.º De jure Canonico homicida laicus debet:—I. Excommunicari (*Can. 20. itaque 24. q. 3.*), nisi per pœnitentiam satisfaciat. Hodie, cum judex Ecclesiasticus rarò procedat contra homicidas, etiam rarò est locus huic pœnæ. Clericus verò homicida punitur inhabilitate ad obtinenda beneficia, depositione ab ordine et officio per sententiam judicis, detrusione in monasterium, hodie in carcerem, vel damnatione ad triremes: et tandem si sit incorrigibilis, degradatione (*c. 6. §. fin. h. t. c. 10. de jud. Trid. S. 14. c. 7. de refor.*)—II. Altera pœna, quam jus Can. etiam in foro interno intendit, est pœna civilis seu compensatio omnium damnorum ex homicidio, vulneratione aut mutilatione consequentium, cum justitia commutativa exigat hanc reparationem damnorum. Et quidem, si in damnificante fuit culpa theologica, compensatio facienda est ante ullam sententiam judicis: si verò fuit tantum juridica, saltèm post sententiam damna compensanda sunt ex L. Aquil. *l. 7. ff. ad L. Aquil. c. 1. de injur.*, licèt nobiles et divites, si malefactor condignè punitus sit, rarò petant compensationem pecuniariam. Quid verò et quantum solvendum sit, dissentiunt DD.; nam multi volunt etiam pro vita ablata, membro amputato, dolore causato, solvendum esse per bona inferioris ordinis; sed quia hæc non recipiunt æstimationem pecuniariam in libero homine, ideo alii melius dicunt pro his nihì solvendum esse, sed præcisè pro medicis, pro damnis temporalibus, quæ obveniunt viduæ et liberis occisi, pro lucro cessante, conformiter *Exod. c. 21. v. 19. l. fin. ff. de his, qui effuder.*, non tamen pro funere, nisi quis occisus sit in loco alieno, ubi impensæ longè majores faciendæ sunt, quàm in loco proprio. In praxi suadenda est transactio seu amicabile compositio, cum difficile sit damnorum quantitatem æstimare. In foro autem interno tantum restitues, quantum, si tu læsus fuisses, sincerè velles tibi restitui. De hac materia utiliter consule Salmant. *tr. 13. punct. 6 7 8*, Laym. etc.—III. Pœna tertia est irregularitas, de qua in *seq. quest.*

88. Q. II. An, et quando ex homicidio necessario seu justo incurrat irregularitas?

R. 1.º Qui justè alterum occidit, vel in privatam defensionem sui aut proximi, vel in bello defensivo in publicam defensionem Ecclesiæ aut patriæ, nullam contrahit irregularitatem: ità com. cum S. D. 2.

2. q. 64. ar. 7., et deciditur *Clem. un. h. t. c. 2. de immun. Eccl.* Nam irregularitas contrahitur vel ex *delicto*, vel ex *defectu*; sed dicto modo occidens non committit *delictum*, cum justè occidat; nec ponit *defectum lenitatis christianæ*, quia jure naturali charitatis aut justitiæ inductus fuit ad hanc occisionem, atque ità nihil egit contra lenitatem christianam; ergò.—Nec est paritas à judice et ministris justitiæ; nam his voluntarium est homicidium saltè in causa, quatenus officium suum voluntariè susceperunt, et aliunde Ecclesia in actibus capitalibus non agnoscit lenitatem christianam: secùs est in nostro casu. Hic excipe casum, quo in occisione excederetur moderamem inculpatæ tutelæ, vel si clericus, dum laici sufficiunt, pugnaret in bello defensivo, et aliquem occideret: quo sensu explicatur *cap. 24. h. t., Can. 5. et 6. d. 50., Trid. sess. 14. cap. 7. de reform.*

2.º Clericus vel laicus pugnans in bello justo offensivo, etsi in periculo vitæ aliquem occidat, contrahit irregularitatem ex defectu christianæ lenitatis (*Can. 1. et 4. d. 51.*); nam tale homicidium est voluntarium in causa, in quantum quis voluntariè nomen dedit militiæ. At si quis propriis manibus nullum occidit, non fit irregularis; *c. 24. h. t.*, ubi exprimitur, casus interfectionis à presbytero factæ, licèt ex stylo curiæ et declaratione S. Congr. reputetur irregularis clericus, qui dans nomen militiæ, armatus servit in bello et stipendia accipit, etiam si sæva non exerceat: quo casu etiam beneficio ipso jure privatur; S. Congr. in *Firman.* 13. Jan. 1618, et indiget dispensatione ab irregularitate: S. Congr. in *Iprens.* 13. Jan. 1703. At in genere exhortantes ad fortiter pugnandum, sive clerici, sive laici, cum ad nullius occisionem per se et proximè influant, nullam irregularitatem incurrunt. Contrà accidit in bello injusto; nam in hoc si vel unicus occidatur, omnes injusti pugnatores, ceu una causa moralis, fiunt irregulares ex delicto (*c. 6. §. fin. h. t. Can. 4. d. 51.*)

3.º Ex homicidio justo ad sententiam judicis reipsà consecuto, incurritur irregularitas ex *defectu lenitatis christianæ* (*Can. 1. d. 51. Can. 29. et seqq. 23. q. 8. c. 5. 9. ne Clerici c. 10. de excessib. Pralat. etc.*); nam Ecclesiæ videtur inconveniens, ut ad altare Christi, Agni mansuetissimi et incruenti admittantur ii, qui judicio et ministerio sanguinis occupantur. Sic etiam in veteri testamento Deus noluit sibi ædificari templum à Davide, qui multum sanguinis fudit, sed à Salomone Rege pacifico (*1. Par. 22. v. 8.*) Porrò hac irregularitate ligantur judex sententiam proferens et assessores ejus, accusator vel denunciator ad vindictam publicam: secùs si tantum interesse suum privatum persequeretur; advocatus accusatoris, testes deponentes contra reum, notarius sententiam capitalem scribens, ministri exequentes sententiam et omnes alii, qui auctoritate publica concurrunt ad prolationem vel executionem sententiæ, ità ut nulla protestatio eos liberet: ità com. Econtrà, ab hac irregularitate liberi sunt *Papa*, qui suis legibus quoad pœnas et inhabilitates non ligatur: *Inquisitores hæreticæ pravitatis*, eorumque officiales ex privilegio Pauli IV et

Pii V: *Prælatus* jurisdictionem politicam imperii meri delegans (*c. fin. ne Clerici in 6.*), vel clericum degradatum tradens curiæ seculari cum solita protestatione et intercessione, ne traditus morte afficiatur: *Advocatus* rei et testes pro eo deponentes, actor, sive clericus, sive laicus, qui tantum civiliter ad interesse agit contra malefactorem (*c. 2. h. t. in 6.*) *Denunciator*, qui injuriam tertio vel reipublicæ à malefactore inferendam denunciat, cum Sac. canones non velint impedire obligationem naturalem ad malum avertendum. Secùs esset, si quis denunciaret injuriam jam factam ex fine publicæ vindictæ. Multò minus hac irregularitate tenentur, qui valdè remotè concurrunt ad condemnationem: ut princeps condens jura criminalia, magister, doctor aut confessarius de illis respondens vel nolens absolvere judicem, qui ex malitia tenuit condemnare reum etc.—Si sententia ex quocumque capite suum non sortiatur effectum, etiam per dispensationem principis, publici ministri justitiæ omnes liberi sunt ab hac irregularitate (*c. 4. de raptor. S. Congr. in S. Severin. 2. Jun. 1703.*)

89. Q. III. *An, et qui ex homicidio privato injusto fiant irregulares?*

R. 1.º Irregulares ex delicto homicidii fiunt:—I. Omnes, qui occiderunt proximum sive physicè, ut percutiendo, venenum dando, vulnus lethale infligendo; sive moraliter concurrente, ut mandantes, consentientes, consulentes, non impediens, qui saltè ex justitia impedire tenebantur (*c. 8. d. 50. c. fin. h. t. in 6.*), non tamen ratum habentes homicidium suo nomine factum, quia hi propriè non influunt in homicidium: neque tali ratihabitioni aliquo jure annexa est irregularitas: extensio verò à paritate (*c. 23. de sent. excom. in 6.*) non est facienda in his pœnalibus.—II. Mandans aliquem injustè verberari, si mandatarius excedens fines mandati, hominem occidat, vel ab ipso occidatur, fit irregularis (*c. fin. h. t. in 6.*); quia mandans culpam et causam occisionis posuit. At si quis justè, v. g. pater aut magister curet aliquem verberari, licèt mandatarius excedat fines mandati, cessat ista irregularitas: uti etiam in casu, quo mandans revocavit mandatum, ejusque revocationem intimavit mandatario. Nam in priori casu cessat culpa; in posteriori verò mandatum revocatum non influit in occisionem, quam mandatarius ex pertinacia sua ponit.

Dices: Consiliarius, etsi revocet consilium, tamen secuta morte, fit irregularis; ergò à pari.

R. *N. C.* Nam recipiens consilium, deinde non agit nomine consulentis, sed nomine suo proprio, neque hoc consilium efficaciter à dante potest revocari, et consequenter hoc consilium influit in mortem; econtrà, mandatarius operatur tantum in virtute mandantis, et consequenter si mandatum revocetur, mandatarius nihil habet à mandante, quod influat in homicidium; sed hoc, si sequatur, præcisè adscribitur perversæ voluntati mandatarii; ergò. Adverte tamen, probabile esse consiliarium non fieri irregularem, si omnem possibilem diligentiam adhibuit, ne ex consilio suo jam revocato mors sequere-

tur; nam consilium non habet se sicut venenum datum; ergò influxus ejus moralis videtur tolli posse per possibilem diligentiam pro impedienda morte adhibitam.

2.^o In rixa, si plures percusserint, et non sciatur, quis occiderit, omnes fiunt irregulares (*Can. fn. 23. q. 8. et c. 18. h. t.*), quia omnes cooperabantur occisori: in foro autem civili arbitrariè puniuntur. At si, v. g. quatuor sint in domo, et unus, jacto lapide, transeuntem occidat, nullus in particulari censetur deliquisse, nisi de uno certò probetur delictum.

3.^o In dubio facti, an clericus ictum lethalem infixerit, censendus est irregularis quoad unum effectum non celebrandi divina mysteria: ità casus iste specialis deciditur *c. 11. 12. 18. h. t.*, dummodò eventus homicidii seu mortis secutæ sit certus. Ratio est, quia licèt in aliis materiis, stante dubio facti, faveatur libertati contra irregularitatem (*arg. c. 18. de sent. excom. in 6.*), tamen in materia homicidii pars tutior eligenda est, ne Agnus innocentissimus imoletur ab eo, qui percussit et forsàn homicida fuit. Aliud dic, si vulnus leve fuit, et mors consecuta ex imperitia chirurgi, vel ex inordinata vita percussi, vel ex alia causa extrinseca.

90. Q. IV. *An ex homicidio culposo contrahatur irregularitas?*

R. Affirmativè: ità *cap. 1. 7. et c. h. t. c. fn. eod. in 6.* Et quidem in foro externo sufficit culpa juridica non tantùm lata, sed etiam levis (*c. 7. 8. 9. h. t.*); in foro autem interno requiritur culpa theologica, mortalis, ob quam secutum est homicidium; quia irregularitas, cùm sit pœna gravis, requirit delictum grave. Hac distinctione conciliantur varia jura, ut *cap. 7. 8. 9. 13. 14. 18. 22. h. t. etc.*

91. Q. V. *An ex procurato abortu mas contrahat irregularitatem?*

R. Affirmativè, si fœtus fuit animatus, cùm sit verum homicidium. Vide Const. 87. Sixti V. *Ad effrœnatam*, ubi statuuntur diversæ pœnæ contra eos, qui directè vel indirectè per se vel per alium, opere vel consilio procurant abortum:—1.^o Irregularitas et inhabilitas ad omnia beneficia, tam simplicia, quàm curata.—2.^o Privatio beneficiorum actu habitorum, et omnium privilegiorum.—3.^o Excommunicatio ipso actò incurrenda.—4.^o Clericus hujus delicti reus debet deponi et degradari, sicque degradatus curiæ seculari tradi. Ex his pœnis irregularitas, excommunicatio et inhabilitas ad beneficia obtinenda ipso facto ante sententiam; ceteræ verò post sententiam judicis saltèm criminis declaratoriam incurruntur.—Dietam Constit. Sixtinam moderatus est Greg. XIV. Const. 7. incip. *Sedes Apostolica*:—I. Si fœtus non est animatus, cessat Const. Sixtina, et ad terminos juris communis reducitur.—II. Si fœtus animatus est, Episcopus per se aut deputatum absolvere potest ab excommunicatione pro foro interno tantùm, non verò dispensare in irregularitate per Trid. *S. 24. c. 6. de refor.* ubi casus homicidii, qualis etiam est in abortu fœtus animati, specialiter excipitur.

92. Q. VI. *An ex mutilatione membri contrahatur irregularitas?*

R. 1.^o Mutilans membrum, vel ità illud debilitans, ut exarescat, fit irregularis (*Can. 4. et fn. d. 55. et c. fn. h. t. in 6. et c. 5. ne Clerici*): secùs si membrum tantùm debilitavit sine arefactione, vel si membrum antèa aridum abscidit; nam membrum debilitatum adhuc manet membrum: aridum verò non est membrum.—2.^o Vulnerans alterum, et deformans, v. g. in facie, non fit irregularis, quia non mutilat, licèt ob injuriam factam puniri possit: at deformatus, si deformitas est notabilis, fit irregularis secundùm dicta tit. *de corp. vitiat.* Mutilatus verò per nequitiam alterius, tunc solùm efficitur irregularis, quando privatur membro necessario ad exercitium ordinum: ut si manu vel oculo sinistro mutilaretur, vel si talis mutilatio turpitudinem externam induceret: secùs non fit irregularis, ut si violenter castratur etc.—3.^o Mutilatio et homicidium quoad irregularitatem æquiparantur in eo solùm, quod in jure dispositum de irregularitate mutilationis, si rigorem contineat, procedat etiam de irregularitate homicidii; non quidem propter paritatem rationis, sed propter argumentum à parte ad totum: econtrà dispositum de irregularitate homicidii non extenditur ad irregularitatem mutilationis: unde licèt Episcopus vi Trident. *S. 24. c. 6. de refor.*, non possit dispensare in irregularitate occulta homicidii, potest tamen in ea dispensare, si oriatur ex delicto occulto mutilationis; S. Congr.

93. Q. VII. *Quis dispensare possit in irregularitate homicidii vel mutilationis?*

R. 1.^o Papa, licèt ob reverentiam præcepti Apostolici non soleat dispensare in irregularitate homicidii. Ceteri prælati, Papa inferiores non possunt dispensare in hac irregularitate pro foro externo, quando delictum est notorium notorietate facti vel juris post condemnationem rei. Quòd si delictum patratum sit coràm pluribus, qui illud celare volunt, vel inhabiles sunt ad testimonium, vel si tantùm diffamatum sit, vel deductum quidem ad judicium, non tamen probatum, adhuc censetur esse occultum.

2.^o Episcopus nequit dispensare pro foro interno in irregularitate occulta proveniente ex homicidio *voluntario*, præsertim qualificato: ut si fuit præmeditatum, ex insidiis proditorium etc.: ità casus iste excipitur in Trid. *S. 24. c. 6. de refor.*, nisi eveniret casus urgentis necessitatis et difficilis esset recursus ad Papam. Econtrà vi cit. Trid. Episcopus dispensare potest in irregularitate occulta proveniente ex mutilatione vel ex homicidio non voluntario, quale est omne casuale: item necessarium, in quo moderamen inculpatæ tutelæ non est servatum: et probabiliter illud, quod quis per accidens et indirectè committit, v. g. in rixa occidendo auctorem rixæ, ne ab eo occidatur; Nav., Lay., Reiff.; quia talia homicidia comparantur casualibus, neque in rigore sunt *voluntaria*.

3.^o Prælati regulares ex vi suorum privilegiorum cum suis religiosi dispensare possunt in irregularitate proveniente ex homicidio occulto, etiam voluntario, sive hoc commissum sit ante, sive post in-

gressum religionis: ità concessisse Martinum V., Paulum III, Sixtum IV. et V., S. Pium V. aliosque Pontifices passim referunt Scriptores Regg., Peyr., Ant. à Spir. S., Salmantien. et alii, uti et Compend. Privil. Minor. Societ. Jesu etc.

* Quidquid sit de privilegiis directè et expressè concessis circa huiusmodi dispensationem variis Ordinibus regularibus, quorum tenores semper sunt speciatim inspiciendi, respectu Regularium per viam tantum participationis iisdem privilegiis gaudentium etiam cum clausula: *pariformiter et æquè principaliter, perinde ac si in specie eis concessa fuissent*, lectorem remitto ad sequens Cong. Conc. responsum à me recognitum, quod cum integra supplicis libelli serie refero, prout reperitur in Regestis ejusdem S. Cong. lib. Decret. 35. pag. 145. *Dubia facultatis absolvendi, et dispensandi* 14. Aprilis 1685.

«Omnibus et singulis Cong. S. Mauri Ordinis S. Benedicti personis concessum est à fel. recor. Summis Pontificibus Gregorio Papa XV. Bulla data anno 1621. et Urban. Papa VIII. an. 1628. uti, frui, potiri et gaudere omnibus et singulis privilegiis, gratiis et libertatibus concessis Congreg. Cassinensi, S. Victorii et omnibus quibuscumque Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, Militarium et Hospitalarium.

Concessa est eadem PP. Cassinensibus facultas absolvendi in utroque foro, et dispensandi super censuris, irregularitatibus et inhabilitatibus monachos suos, qui ante religionis ingressum, homicidiis voluntariis, aliisque patratris facinoribus irregularitates et censuras incurrunt, ut patet ex Brevibus Eugenii Papæ IV., Romæ Kal. Aprilis Pontificatus XI. Innocent. Papæ VIII, Kal. Novemb. Pontificatus anno III. beatæ mem., Pii Papæ V. idibus Jul. anno 1571. datis.

Concessa est eadem facultas PP. Congreg. Montis Oliveti à Pio Papa IV. Bulla data anno 1560. die 24. Maji Pontificatus anno primo.

Sed et PP. Prædicatoribus Dominicanis Bulla Julii Papæ II., data anno 1510. Pontificatus anno VII.

Nec non et PP. Societatis Jesu Bullis Pauli Papæ III., anno 1549., 15. Kal. Novem. Pontificatus anno XV. et Gregorii Papæ XIV. anno 1591. datis.

Cùm itaque PP. Cong. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano Papa VIII. utendi, gaudendi et fruendi omnibus privilegiis aliis Congreg. et Ordinibus concessis, non solum per participationem et extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem Congreg. concessa essent, Procurator Generalis ejusdem Congreg. humiliter instat declarari:

Primum. An superiores dictæ Cong. licitè validèque possint absolvere in utroque foro, ac dispensare super irregularitatibus et censuris suorum monachorum per homicidia, vel in bello, vel in jurgiis, aliisque motibus quasi indeliberatis contractis?

Secundum. An eos possint rehabilitare ad susceptionem Ordinum, dignitatum et prioratum seu capellaniarum regularium?

Sac. etc. ad utrumque respondit: *Negativè.* **»

4.º Confessarii regulares, sicut Episcopi, dispensare possunt in hac irregularitate occulta cum secularibus pœnitentibus, dummodò non oriatur ex homicidio voluntario: ità concessit Sixtus IV. Ordini Minorum; idemque privilegium confirmavit Julius II. Constit. incip. *Dum ad sacrum.* Paulus III. Constit. incip. *Cùm inter cunctas.* Et quamvis Cassarubius, Suar. et alii dicant non esse satis securum hac facultate uti, Salmaticenses tamen cum multis aliis gravissimis DD. asserunt omninò licitum esse usum hujus facultatis, cùm eam revocatum fuisse non constet. Vide Salm. *tr.* 10. c. 7. p. 4. n. 59. et seqq. et *tr.* 18. c. 4 p. 2. §. 12.

* Hic iterum lectorem remitto ad alterum et quidem generale ejusdem Cong. responsum, quod à me pariter recognitum transcribo unà cum integra supplicis libelli serie, prout reperitur in Regestis dictæ Cong. lib. 24. Decret. pag. 26. à tergo 9. Februarii 1634.

«Cadurcen. dispensationis suplex narrat D. Episcopus Cadurcensis; in hac diœcesi, nonnullos regulares facultatem in irregularitatibus occultis ex delicto contractis dispensandis sibi assumere; quæ cùm per Concilium Episcopis permissa fuerit, ab iisdem Regularibus non absque disciplinae ecclesiasticæ relaxatione usurpatur: quare petit, ut ex hac S. Cong. declaretur.

»An facultas attributa Episcopis in cap. 6. sess. 24. de reform. intelligatur etiam concessa Regularibus, sive eorum superioribus.

»Cong. Conc. censuit, non intelligi concessam.»

Idem responsum dedit ad dubium mense Julio an. 1585, in causa pro Commissario Ordinis Minorum Conventualium in regno Siciliæ, ut lib. IV. Decret. pag. 43. **

TITULUS XIII.

DE TORNEAMENTIS.

94. In hoc et seqq. duobus titulis continuatur crimen homicidii, cujus causæ etiam sunt *torneamenta* seu *bastiludia* solemnia, in quibus milites, nobiles et alii ejusmodi homines convenire solent ex conducto, et congregari ad ostendendam audaciam et peritiam bellandi, et virium fortitudinem. Torneamenti similis est agitatio taurorum seu concertatio cum bestiis.

95 Q. I. *An licita sint torneamenta?*

R. 1.º Si fiant cum moderamine et per arma hebetata, ut nullum sit vitæ periculum, de se sunt licita laicis, non clericis; nam talia unbratilia exercitia fiunt ob solemnitatem diei, v. g. in principum inau-